

SECT. I. REFRAINGIBILITAS. 5

minoremve patiendum sit aptus. Invenio præterea, quod Radii F P maxime refracti colores purpureos producant, & illi F T minime refracti rubros, qui autem hisce intermedii F Q, F R, F S pergunt, colores intermedios, nempe cæruleos, virides & flavos generant : & sic radii, prout apti sunt, ut alii aliis magis atque magis refringantur, hos ordine colores, rubrum, flavum, viridem, cæruleum, & purpureum generant, una cum omnibus intermediis, quos in iride liceat conspicerè; unde productio colorum prismatis & iridis facile patebit. Sed his jam perfunctorie notatis, quæ de coloribus dicenda sunt, in posterum differam.

III. *Probatum experimento vulgari per longitudinem imaginis solaris refractæ.*

SENTENTIA nostrâ de hâc re sic breviter explicatâ, ne putetis fabulas pro veris enarratas esse, rationes & experimenta, quibus isthæc innituntur, continuo proferam. Et quoniam experimentum quoddam prismatis valde obvium mihi primo dedit occasionem excogitandi reliqua, istud primum explicabo. Sit F (fig. 2.) foramen aliquod in pariete vel fenestrâ cubiculi, per quod radii solares OF trajiciantur, reliquis ubique foraminibus diligenter obturatis, ne lux alibi ingrediatur. Ista autem obscuratio cubiculi non est prorsus necessaria, sed efficit